



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Collegiis Canonicoꝝ Per Germaniam, Belgivm,
Galliam, Hispaniam, Italiam, Aliasqve Orbis Christiani
Prouincias, Liber Singvlaris**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1615

Fravvenmynsteriense Collegium Tigurinum Canonissarum, apud Heluetios.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11227

quarto Hildesheimensium Episcopo; qui primas duas eius loci Abbatissas designasse & uelasse dicitur.

CAPVT XXXVII.

HAMBURGENSE ET BREMENSE
collegia in Germania.

S Ansharius primus Episcopus Bremensis & Hamburgensis, præclarus omnium Aquilonarium regionum Apostolus, sedit in Episcopatu annis triginta quatuor; primùm annis septem Hamburgi, post Hamburgi à barbaris vastationem, annis nouem in Ramsola; reliquis uerò annis Bremæ: ubi in matrice Ecclesia S. Petri sepultus est, in quam S. VVillehadum transtulerat. In primo adolescentiæ flore regulam S. Benedicti professus est in Francia Corbeia. Inde cùm in nouam Saxoniam Corbeiam commigrasset, *Haraldus* Rex Danorum à Ludouico Augusto auxiliũ petijt. Quod ei Imperator promisit, si uellet fidem profiteri Christianam; fidem igitur Rex recepit, quem Imperator de Sacro fonte leuauit, & in filium adoptauit. Dum autem uerque quæreret prædicatorem in Aquilonarem regionem mittendum, uerò sese *Ansharius* obtulit, nihil territus barbaricæ gentis crudelitate. Hac occasione paulò post, cùm Aquilonis regna Diuini uerbi illustrasset prædicatione,